


Johann Fecht Johann Ernst Meerwein


Disputatio De Fundamentis, Quibus Missaticum Sacrificium innitur : Joanni Dezio, Jesuitae, opposita

Rostochi[i]: Richelius, 1700

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn742254100>

Druck Freier  Zugang





R. U. = Nicol 1700 Fecht, Johann/B

DISPUTATIO
DE
FUNDAMENTIS,

Quibus
MISSATICUM SACRIFICIUM
innititur,

JOANNI DEZIO, Jesuitæ, opposita.

Quam

Consentiente vener. Facultate Theologicâ

PRÆSIDE

JOANNE FECHTIO,

D. & P. P. Consist. Ducal. Assess. & Distr.

Rostoch. Superintendente, h. t. Fac. suæ

Decano,

Ad publicam placidamque collationem sistit;

In Auditorio Theologorum maximo,

Ad d. XXXI. Martii A. MDCC.

JO. ERNESTUS MEERWEIN,
Pforzheimensis Marchicus.



ROSTOCHI,

Typis JACOBI RICHELII, Ampliff. Senatûs

Typogr.



1700

FAMILIÆ MEERWEINIANÆ PATRONORUM
AC EVERGETARUM
TRIGÆ,

ILLUSTRISSIMO, GENEROSISSIMO atq; EXCELLENTISSIMO DOMINO,
DN. REINHARDO LIB. BAR. DE
GEMMINGEN,
Serenissimi FRIDERICI MAGNI, Principis Ba-
densis, Domini sui Clementissimi, Ministro Primario & Curiaë
Præsidi supremo, Domino suo Gratiolo.

Et
MAGNIFICO, CONSULTISSIMO atq; EXCELLENTISSIMO DOMINO,
DN. HEINRICO GUILIELMO
MALERO,
Serenissimi Principis Consiliario Aulico Secre-
tiori, Domino suo Benevolentissimo.

Nec non
SUMME REVERENDO, AMPLISSIMO atq; EXCELLENTISSIMO DOMINO,
DN. MATTHÆO KUMMERO,
Ejusdem Serenissimi Principis Consiliario
Ecclesiastico Gravissimo, Superintendenti Meritissimo,
& Ecclesiæ Pfortzheimensis Pastori Prima-
rio Vigilantissimo.

Domino atq; in Christo Jesu Patri, omni honoris
amoris & Filialis obsequii cultu æternum devenerando.
Dominis Patronis, Fautoribus, Evergetis atq;ve
studiorum Promotoribus, cum omnigenæ felicitatis voto,
præsentem hanc Disputationem in sui studiorumque suorum
commendationem

offeret & dicat

TANTORUM NOMINUM

Humilissimus Client

JO. ERNESTUS MEERWEIN,
RESPONDENS.



PROPOSITIO III.

Fundamenta, quibus Missam verum esse sacrificium, proprieque dictum, Jo. Dezius comprobet, in valida esse.

I.

Qui è Romanæ Ecclesiæ scriptoribus pacificatoriâ, quam vocant, methodo Lutheranos atque Reformatos ad ejus Ecclesiæ, è quâ olim exierunt, gremium reducere adnituntur, id unicè dant operam, ut doctrinam suam, quantum unquam fieri potest, emolliant & ab illo vel rigore vel deformitate, quam ei adversarii adscribunt, omni ratione modoque liberent. Cavati, si Romanæ Ecclesiæ facies ab illis sordibus, quibus passim a Lutheranis Calvinianisque depingatur, ipsaque illa tam fœdâ picturâ spectatoribus reddatur exosa, deterfa, genuinâ suâ formâ appareat, fieri non posse, quin quæ antea odium omnium promeruerit, jam attrahat universorum amorem. Nihil enim magis effecisse, ut Romani fierent Lutheranis invisi & illorum religio ab his cane pejus & angve fugeretur, quàm quod à Lutheranis oratoribus illius, uti putabantur, errores longè tetrius turpiusque, quam revera fuerint, sint ubique descripti. Hunc quippe morem nobis esse, ut quorum odium conciliare aliis velimus, iis deformem nigramque induamus faciem, iisque illa depingamus coloribus, qui primo statim intuitu ab illâ nos reddant aversos. Id egregiè præstitisse pro suggestu concionatores Lutheranos, qui in Romanos invecti, plurima iisdem attribuerint, quæ in mentem iis venerint nunquam.

A

quam. Quod si aliquando apud unum alterumque doctorem Romanæ Ecclesiæ particularem aliquid legissent, quod minus convenire videretur, id statim arreptum, ipsiq; Ecclesiæ Romanæ, tanquam publicam ejus doctrinam, impactum, & per varias consequentiarum ambages in majus, ut fieri soleat, extensum fuisse. Inde natum esse odium erga Romanos planè Vatinianum & implacabile. Quod verò felicius vel mitigari nequeat vel tolli, quam si genuina Romanæ Ecclesiæ facies restituatur, si diluantur maculæ immeritò ipsi affictæ, si eâ innocentiam atqve puritate illius doctrina repræsentetur, quam ei, remotis omnibus privatorem doctorum scriptis, publicæ universimque receptæ confessiones admetiantur. Ita enim appariturum illicò esse, immeritò hætenus illam odio habitam fuisse, quæ amorem potius promeretur & applausum. Ita ultrò ad eandem redituros esse, qui animum hætenus gesserint ab eadem tantopere alienum. Ita sine omni acerbâ disputatione, quæ tantum ad distrahendas ab invicem mentes comparata sit, solâ nudaqve veritatis propositione coalituram esse Lutheranos inter & Pontificios amicitiam, catholicosq; futuros, qui catholicos hætenus tanto odio & hostilitate sint profecuti.

II. Quamquam plures subinde fuerint, qui hac scribendi adversus Lutheranos methodo, quæ alteram illam, contentiosam atq; rixatricem, humanitate præcellere longè videbatur, sunt usi, reliquos tamen ante se omnes *Joannes Dezius*, Argentoratensis, sive ordinis facilitate atqve accurate, sive virtute commovendi superasse visus est. Quicquid enim ad emolliendam pingendamque Ecclesiæ Romanæ doctrinam in singulis fidei articulis, cum Lutheranis controversis, facere poterat, tribus capitibus inclusit, quorum primum catalogum quendam & ordinatam recensio-nem complectitur earum rerum, in quibus Romanam Ecclesiam cum Lutheranâ amicè conspirare ostenditur. Cumulan-

mulantur plerumque consensionis capita magno numero, ut in pluribus conveniri appareat & altam inter Ecclesias potius pacem esse, quam dissideri & bellum agitari. Quo ipso veluti via paratur ad animorum conciliationem. Quid enim æquius est, quam exigua opinionum inter sese divortia bono animo tolerare, quando in præcipuis est mentium conjunctio & quasi concentus? Secundum caput ipsius doctrinæ Romanæ simplicem propositionem repræsentat, alienam ab omni adversariorum infectatione, nixam vel clarissimis Scripturarum testimoniis, vel suffragiis certè canæ venerandæq; antiquitatis. Hanc qui procul affectu & præconcepto odio legerit, consideraveritque, vix videbitur ab assensu sese continere posse. Denique tertium caput hanc ipsam tam innocuam, tam consonam Scripturæ atque antiquitati doctrinam ab imputatis ei variorum assumentorum maculis ita dilucidè liberat, ut jam nihil restet, quin illa omnium amore atque amplexu digna reputetur. Atque hoc pacto felicius quam factum hactenus est, controversiis inter nos obortis finem imponi & ad Ecclesiam matrem adduci posse filios, multum de genitricis suæ defectibus conquerentes, opinatur.

III. Annisi fuimus uno de Missæ sacrificio exemplo commonstrare, quam fragili singula hæc capita incumbant fundamento; quodque in prætensis consensionis momenti, quorum ei numerus ad duodenarium excreverat, nec unum quidem, si singula solido examine considerentur, firmo talo consistat, quin totidem potius aut plura dissensionis capita exurgant. Nunc ad præsidia progrediendum est, quibus doctrinam Romanam stabilire firmamque reddere contendit. Videmur quidem materiam excutere, quæ ab eo, quo Missaticum istud negotium in Ecclesiâ ventilari cœptum est, tempore vel sexcenties in certamen producta est, id est, cramben toties expositam recoquere. Verum cum adversariis nostris placeat, veteres cantilenas, novò

colore vestitas, in Ecclesiæ theatrum reproducere, iisque nostri cœtus cives ad Romanarum partium societatem invitare, cur inutile nobis videatur, responsa, jam olim his argumentis opposita, repetere & ne quis temerè novis artificiis aures attendat, cohortari? Inprimis cum è magno argumentorum numero verosimile sit ea eligere *Dezius* voluisse, quibus præ reliquis omnibus eximium inesse robur putavit, ut cum nervi his fuerint incisi, infirmis inniti fundamentis magnum istud & præcipuum Romanæ religionis propugnaculum, omnes facile sint intellecturi.

IV. Quod igitur in præcedente quoque dissertatione fecimus, primò omnium *Decii* verba, ex Gallico Germanicoque conversa, integra repræsentabimus, dein instituto examine iudicium de iis nostrum feremus. *Postulant Catholici*, inquit, *ipsis concedi, quod Missa sit verum sacramentum, in quo Christus Jesus semetipsum, ut cibum prorsus Divinum, nobis donet: & similiter verum sacrificium, ubi idem Jesus Christus DEO se offerat pro nobis, tanquam victimam planè sacram, per ministros suos.*

V. Proponitur hic thesis seu doctrina Romanæ Ecclesiæ de Missæ sacrificio, quâ illa Lutheranae opposita est, postulaturque admitti ob rationes mox secuturas. In quâ sicuti priorem Confessionis partem hætenus recipimus, quod in Sacramento S. Eucharistiæ Christus Jesus, non semetipsum, (quod in verbis institutionis non dicitur;) sed corpus sanguinemque suum, quæ ideò & separatim consecrari iussit, ut cibum prorsus Divinum, nobis donet: ita alteram, quod non minus S. Eucharistia sit verum sacrificium, ubi Christus DEO se offerat pro nobis tanquam victimam per ministros suos, ideò negamus, quia partim in institutionis verbis, è quibus solis de hoc mysterio iudicare fas est, ne ullum quidem ejus rei indicium comparet, partim quia vera sacrificii ratio, actioni hic descriptæ planè repugnat. In utroque ad sanum cujuslibet hominis, ratione suâ

suâ citra præjudicium utentis, iudicium provocamus. Nec enim quisquam hominum in toto mundo, qui de sacrificio Eucharistico nihil unquam audivit, cum institutionis verba legit, sacrificium in iis aliquod nobis commendari, vel suspicabitur, nedum intelliget. Quod vel ex primâ nostra adversus *J. B. Bossuetum* propositione abundantissimè patefcere arbitramur. Deinde quis unquam, qui quid sit sacrificium, ex animalium genere confectum, vel ex sacrarum *Litterarum* monumentis, vel ex exemplis profanis edoctus est, pro veri nominis sacrificio habuit, quod nunquam mactatum, nunquam occisum, nunquam destructum fuit? Nihil rationi omni, etiam ex sacrarum *Scripturarum* exemplis informata, magis adversum est, quam sacrificium incruentum & tamen verissimum. Quid verò magis naturale est, quam eam actionem, quæ imaginem tantum repræsentat mactationis & occisionis, (si quidem imaginem repræsentet) imaginarium tantum & improprie dictum sacrificium constituere? De quo cum alibi (a.) fusius à nobis actum sit, nunc tantum dicimus, hos scopulos ante cætera omnia *Lutheranis*, quando *Missaticum* sacrificium, idque proprie dictum, audiunt, oborientes, removendos esse ab iis, qui postulant, ut thesis illa recipiatur. Nec enim argumenta eos ulla, antequam his penitissimè fuerit satisfactum, convincent. *Rectius* etiam & suæmet hypothese convenientius fecisset *Dezius*, si ipsius *Concilii Tridentini* verbis, ambiguitati minus obnoxiiis, doctrinam *Ecclesiæ suæ* fuisset complexus, dicendo, requiri à *Lutheranis*, ut concedant *Pontificiis*, *Missam* esse verum propriumque sacrificium. (b.) Dum enim verum tantum sacrificium, ommissâ proprietate, vocat, veritatis vocem noverat non semper proprietatem notare. Nam & *Augustinus* (c.) misericordiam verum sacrificium, & *Basilii* (d.) à vitis alienum esse verum vocant jejunium, id est, interprete

A 3

(a.) Propos. I. supra, §. XXII. p. 25. f. (b.) Sess. XXII. can. I. (c.) X. de C. D. 5. (d.) Serm. priore de Jejun.

terprete *D. G. Calixto*, (e.) non si rationem formalem, sed si finem respicias, qui est DEum propitium habere. Ne igitur S. Evcharistia ideò tantum verum esse sacrificium à quo-
piam dictum putetur, quia verum medium est, DEum nobis propitium reddendi, quod Lutherani utraqve manu admittunt, præstaret utiqve, vocem addi ex Concilio significantiorem, diciqve : Missam sacrificium esse verum, proprièqve dictum.

VI. Nunc cum ad argumenta, hoc ipsum probantia, accedit *Dezius*, ita inquit : *Rationes, quibus moti Protestantes concedere debent, Missam verum esse sacrificium, sunt sequentes. Primò docent, duo esse sacrificiorum genera, Propitiatorium & Eucharisticum, Missam verò pertinere secundum Patres ad secundam illarum specierum. Fatentur igitur, illam in genere esse sacrificium, quod offeratur DEO. Ad marginem allegatur locus ex Apolog. Aug. Conf. Artic. de Miss. p. 253. Sunt autem sacrificii species proxima dua, nec sunt plures. Quoddam est sacrificium propitiatorium, id est, opus satisfactorium pro culpâ & pœnâ ---- quod meretur aliis remissionem peccatorum. Altera species est sacrificium Eucharisticum, quod non meretur remissionem peccatorum & reconciliationem, sed fit à reconciliatis.*

VII. In fronte ponit *Dezius* argumentum ad hominem, ex propriâ adversariorum concessione, depromptum. Quo videtur parare Lutheranorum animos velle, ut reliquo argumentorum robori eò lubentius colla submittant. Id verò tantæ equevidem infirmitatis est, ut vix credere aliquando liceat, potuisse illud excidere viro, singularem Lutheranae Theologiae peritiam præferenti. Conclusio hæc esse debebat : Missa est sacrificium verum proprièqve dictum. Probatur ex Lutheranorum confessione, quia est sacrificium Eucharisticum, generaliter & impropriè dictum. Nec enim aliud intelligere Lutheranos confessores, ex con-

nexis

(e.) De Sacrif. §. XCI.

nexis sacrificii Eucharistici exemplis evidentius est, quam
 solem in meridie, cum sudum est, lucere. Verba eorum,
 postquam primam sacrificiorum speciem, quæ sunt propi-
 tiatoria, recensuissent, hæc sunt: *nunc reliqua sunt sacrificia*
εὐχαριστιὰ, quæ vocantur sacrificia laudis, prædicatio Evangelii,
fides, invocatio, gratiarum actio, confessio, afflictiones sancto-
rum. Immo omnia bona opera sanctorum. Et post pauca: *Et*
talia sunt sacrificia novi Testamenti, sicut docet Petrus: sacer-
dotium sanctum, ut offeratis hostias spirituales. I. Petr. II. (f.)
 Qvod ipsum ex similibus locis epistolarum ad Romanos &
 Hebræos comprobant. Quid clarius est, quam duplex esse
 sacrificiorum genus, Propitiatoriorum & Eucharisticorum,
 quæ utraqve quamquam in V. T. certâ ratione & respectu
 considerata, quatenus *legis iustitia* satisfaciebant & *ne illi,*
pro quibus fiebant, excluderentur ab istâ politiâ, ut eo ipso lo-
 co loquuntur confessores, veri nominis sacrificia fuisse non
 neget Apologia, negat tamen in N. T. alia sacrificia esse,
 quam Eucharistica, eaqve non propriè, ut in V. T. sed im-
 propriè & spiritualiter dicta, qualia longo numero in ver-
 bis supra allegatis recenset, immo iisdem quoque accenseri
 posse ipsam S. Eucharistiæ ceremoniam, una cum com-
 memoracione mortis Christi consideratam, in sequentibus non
 diffitetur. Nec alia in N. T. quam impropria & spiritualia
 sacrificia esse debere, ex triplici Scripturæ testimonio invictâ
 quapiam ratione probat. (g.) Si enim in N. T. hostiæ tan-
 tum spirituales sint offerendæ, juxta Petrum; si corpora no-
 stra exhibenda sint hostia viva, sancta & cultus rationalis, se-
 cundum Paulum; si offerenda sit hostia laudis semper DEO,
 id est, fructus labiorum, confitentium nomini ejus; neque a-
 liæ ullibi hostiæ memorentur, quas memorari eo loco, ubi
 Christianorum sacrificiorum diserta instituitur enarratio, si
 tales in Christianismo existerent, omninò necessum foret, ul-
 trò consequi Apologia docet, in N. T. non dari sacrificia
 aliquod

(f.) P. 255. (g.) I. Petr. II. 5, Rom. XII. 1, Hebr. XIII. 15. p. 256.

aliquod propriè dictum, externum & visibile, ex opere operato DEum homini propitium reddens. Verum autem est prius. Ergo & posterius. Quæ cum ita sint, non apparet, quâ vel specie Apologiam ad confessionem sacrificii propriè dicti trahere voluerit *Dezius*, nisi forte, quia Apologia duas esse species sacrificiorum asserit & alteri speciei Missam annumerat, species ipse propriè dictas, sub uno genere univoco contentas, intelligendas esse causari velit. Quo pacto sicuti prior species sacrificium propriè dictum complectitur, ita & in posteriori idem usu venire ultrò intelligeretur. Sed verò advertere *Dezius* debebat, affirmare quidem Apologiam, (h.) duas illas sacrificiorum propriè dictorum species in V. T. obtinuisse, non item in Novo; quippe ubi *unicum tantum in mundo*, (hæc ipsa sunt Apologiæ verba) fuerit sacrificium, propitiatorium videlicet, mors Christi, (i.) quicquid verò de cætero in N. T. sit sacrificiorum, ad Eucharistica impropriè dicta & spiritualia pertinere, (k.) adeoque sub genere & specie sacrificiorum, non univocè sed æquivocè seu analogicè dictorum, contineri. Quod ex exemplorum recensione & institutâ ex Epistolis Apostolicis probatione clarissimum esse supra ostendimus. Videat itaque iterum illustrissimus *Bossuetus*, quâ veritate nitatur testimonium, à se *Dezio* datum: *Augustanam Confessionem, reliquosque Libros Symbolicos in opere Deziiano utiliter atque SINCERE adhiberi.*

II. Progreditur verò *Dezius* & aliud producit ad comprobendam sacrificii veritatem proprietatemque argumentum. *Secundò*, inquit, *hæc ipsa fides est totius antiquæ Ecclesie, Divino verbo innitens. A sancto enim Paulo edocet ipsummet Christum esse, qui appelletur aternus sacerdos juxta ordinem Melchisedech, inde conclusit, quod perpetuò sacrificare, idque ad finem usque mundi continuare deberet, offerendo per ministros suos sub specie panis & vini sacrificium corporis & sanguinis*

(h.) p. 253. (i.) p. 254. (k.) p. 255.

guinis sui, quippe cuius oblatio Melchisedeci, qui panem & vinum offerebat, vera figura esset. Hac mensa, inquit S. Augustinus, quam sacerdos N. T. exhibet, secundum ordinem Melchisedech, de corpore ac sanguine suo est: id est enim sacrificium, quod successit omnibus sacrificiis veteris Testamenti. Quis magis sacerdos DEI summi, inquit S. Cyprianus, quam Dominus noster Iesus Christus, qui sacrificium DEO Patri obtulit & obtulit hoc idem, quod Melchisedech, id est, panem & vinum, suum scilicet corpus & sanguinem --- Præcedit ante imago sacrificii, in pane & vino scilicet constituta, quam rem perficiens & adimplens Dominus panem & calicem mixtum vino obtulit & qui est plenitudo, veritatem præfigurata imaginis adimplevit. Sacerdos, pergit ille, vice Christi verè fungitur, qui id, quod Christus fecit, imitatur & sacrificium verum & plenum tunc offert in Ecclesiâ DEO Patri, si sic incipiat offerre, secundum quod ipsum Christum videat obtulisse. Atq; hoc modo omnes reliqui patres hac de re loquuntur. Prophetæ Malachias satis clarè prædixit, quod DEUS sacrificia veteris legis, quæ non nisi in templo offerebantur, reprobaturus, quodq; vicissim in eorum locum aliud sacrificium, quod mundum & sanctum foret, successurum esset, in omnibus mundi locis offerendum. Quam in rem S. Augustinus, Judæis insultans, exclamat: hoc sacrificium per sacerdotium Christi secundum ordinem Melchisedech, cum in omni loco à solis ortu usq; ad occasum DEO jam videamus offerri, sacrificium autem Judæorum, quibus dictum est: non mihi voluntas in vobis, cessare negare non possunt, quid adhuc expectant alium Christum? Novi Testamenti novam docuit oblationem, ait S. Irenæus, quam Ecclesia ab Apostolis accipiens in universo mundo offert DEO --- de quo in duodecim Prophetis Malachias: non est mihi voluntas. Atq; ita omnes patres utuntur vocibus oblationis, sacrificii, immolationis, victimæ, altaris, sacerdotum, sacrificantium, &c. Loca ex Scripturâ adducta in margine notantur, Hebr. VII. 17. Malach. I. 10. 11. Ex patribus verò August. XVII. de C. D. 20. Cyprian. Lib. II. Ep. III. ad Cæcil. Iterum ad

B

Cæcil,

Cæcil. Ep. LXIII. August. de Civ. D. XLIX. 25. Irenæ. IV. 23. Qvodqve ultimo loco dixerat de vocibus apud veteres sacrificium innuentibus, id D. Chemnitii nostri auctoritate confirmat, qvi Part. II. Exam. Conc. Trid. de Miss. p. 275. scribat: *negari non potest, veteres, quando loqvuntur de celebratione cœnæ Dominicæ, usurpare vocabula sacrificij, immolationis, oblationis, hostiæ, victimæ: item uti verbis offerre, sacrificare, immolare.*

IX. Cum hoc argumentum ex pluribus rationibus sit compositum, de singulis, ut ordine agamus, speciatim nobis dicendum est. Et primò quidem ad totius antiquæ Ecclesiæ fidem provocatur. Meminisse autem æqvum est *Dezium*, probandam esse hanc, non aliam, thesin: Missa qvoad formam suam seu actionem est sacrificium verum, proprièq; dictum. Nam alio qvocunq; sensu sacrificium vocari Evcharistiam posse, imprimis si materiam, in eâ accipiendam, qvæ & materia sacrificij crucis fuerat, & finem, qvi est memorare mortem Christi, eandemqve fidei menti variis pietatis exercitiis repræsentare, respiciamus, nemo unqvam Lutheranorum inficiatus est. Potestqve hoc intelligi ex iis, qvæ paulò ante ex Apologiâ Augustanæ Confessionis adduximus. Jam verò veteres Missam qvoad actionem sacrificium vocasse, idqve verum & propriè dictum, indubitatis argumentis probandum est. Id enim est, qvòd perpetuò negarunt Lutherani, qvi id Missæ nominis ex plurimis aliis rationibus veteres imposuisse invictis argumentis ostenderunt. Videatur vel solus *Chemnitius*, post eundem *Calixtus*. (1.) Qvomodo verò totius antiquæ Ecclesiæ fides esse poterat, Missam esse verum propriumq; sacrificium, cum toto trifeculari à nato Christo tempore Christiani doctores Gentilibus, Christianæ religioni sacrificiorum defectum objicientibus, nunquam aliter responderint, quam non requirere in N. T. DE-
um

(1.) Ille in Exam. Conc. Trid, Part, II. de Miss. p. 347. f. Hic in totâ Exerc. de Sacrif. Chr.

um alius generis nisi Divinarum laudum & bonorum operum sacrificia? Si verò aliquod in ipso Christianismo superesse sacrificium propriè dictum credidissent, idq; quotidianum, in quo totius Christianismi nervus consisteret, quomodo reticere id Christiani, insultantibus ipsis tantopere paganis, potuissent? Minucii Felicis verba allegavit *Calixtus*, simulque reliquorum, idem asserentium, Justini, Irenæi, Athenagoræ, Tertulliani, Clementis Alexandrini, Origenis, Cypriani, Arnobii, Lactantii, Eusebii, Ambrosii, Augustini, Cyrilli, Theodoretii, Prudentii, Fulgentii, nominavit loca. (m.) Ad hæc prius solidè respondeat *Dezius*, antequam ad antiquitatis hac in re provocet consensum. Nec verò cum Nihifio aliisque ad veterem silentii disciplinam confugiat, quos ipsos redegit ad silentium *D. Gerb. Titius*. (n.) Denique ingenuè fatetur *Matth. Galenus*, Theologus Duacensis, primum determinasse Concilium Tridentinum, quod Missa sit verum proprièq; dictum sacrificium, patresq; ante Concilium omnes de improprio sacrificio intelligi posse. (o.) Quanta igitur audacia est, dicere: totius antiquitatis fidem esse, Missam esse veri nominis sacrificium.

X. Deinde fides hæc antiquæ Ecclesiæ S. Scripturarum auctoritate niti dicitur. Primò in memoriam *Dezio* revoco *Georgii Ataidis*, Regis Lusitaniæ Theologi, in Tridentino Concilio, habitam XXIV. Julii orationem, quæ frustra nonnullos conari adstruxit, elicere Missæ sacrificium ex S. Scripturâ, quod nusquam ibi reperiatur, adversariis autem veritatis tantum calumniandæ ansa præbeatur, dum videant ipsos rem tantam arenæ laxæ atque instabili inædificare. Refert *Petrus Suavis*. (p.) Nec tantum id generatim *Ataides* asseruit, sed neque deesse è Catholicis, qui idem speciatim de locis à *Dezio* productis pronuncient, ex

B 2

Ger-

(m.) Procem. ad Aug. de Doct. Chr. p. 80. (n.) Ofsenf. Summ. c. IV. 89. f.
 (o.) Verba allegata sunt supra in App. Prop. I. §. XXII. p. 28. (p.) VI.
 H. C. T. p. 613.

Gerbaro nostro ignorare non poterat *Dezius*. (q.) Idem objecerat *Dezio*, cum in genere, tum speciatim, circa argumentum ex eo deductum, quod sanguis Christi pro nobis effusus dicitur, *D. Is. Faustius*, Theologus Argentoratensis. (r.) Quâ in re ego nunc *Jod. Clichtovæo* & *Didaco Nugno* de *Capezudo* adjicio magnum Gallix fidus, *Petrum de Marcâ*, Archiepiscopum Parisiensem, (s.) præteritum pro futuro positum esse agnoscentem. Ad quæ dum in recentioris editionis Præfatione conqueritur *Dezius*, ad duorum aut trium in Ecclesiâ catholicâ hominum auctoritatem totam redigi objectionem, an oblitus est Jesuita, quoties ejus probationes ad unum redierint *Calixtum*, à cæteris nostræ Ecclesiæ plerisque, quod de suis nunquam dixerit, eâ ipsâ in re disertè castigatum & rejectum? Quid? aliquando ad *Mattheum* quendam *Pratorium*; (t.) at qualem hominem? *Ministrum* inquit, *Lutheranum*. Quasi verò neque *Clichtovæus* neque *Nugno* neque *Marca*, neque, quem nunc superioribus addo, *Thomas Cajetanus* Catholici aliquando fuissent? *Pratorius* verò nec ullum unquam in Ecclesiâ *Lutheranâ* habuit nomen & jam eo tempore, quo isthæc scribebat, intus & in cute, ut *Nihusianâ* elegantiam utar, *Papisticandus* erat. Quâ de re jam supra diximus. (u.) Non equidem novum aut insolens est, hostium nostrorum testimonia advocare, propriisque adeò telis eosdem confodere. Neque quisquam hunc morem unquam reprehendit, si, cujus testimonio usi fuimus, sit bonæ inter suos famæ, vulgò apud eos probatus, magnique habitus & denique rationibus pugnet, viro verè erudito non indignis. Hanc laudem *Ataidi* cedat *Dezius* necesse est, quousque argumenta, à *Petro Svave* enarrata, non solide refutaverit, quibus profectò omne illud armorum genus, quod pro defendendo vero *Missæ* sacrificio in

(q.) H. C. C. II, XV. l. p. 1188. f. (r.) *Wahr. Chr. Ver. Vorr.* p. 22.
 (s.) *Diss. Posth. de Miss.* p. 101. (t.) *Concl.* II, p. 493. Et in *Ger.*
 p. 499. (u.) *Propos.* I, §. VI. p. 6. f.

in aciem eduxit, anteqvam expediretur, destruxit & in ruborem dedit.

XI. Jam quod ad primum ex sacris argumentum spectat, Typum videlicet Melchisedecianum, audiamus de eo Ataidem: *ad locum de Melchisedeco respondet, Christum esse sacerdotem ex eo ordine, quatenus unicus esset & æternus, absque decessore, sine patre, sine matre, sine Genealogiâ. Id ex Epistolâ ad Hebræos luce clarius evadere, ubi D. Paulus eam rem ubertim tractans sacerdotii æternitatem & singularitatem exponit, panis autem & vini nullam facit mentionem. Porro doctrinam esse Augustini, ubi proprius & accommodus est ad aliquid dicendum locus, neq; tamen quidquam ejus dicatur, tum argumentum inde peti posse ab autoritate negativum. Nihil certe verius, nihil rectius. Dezius ita concluderat: Qui est sacerdos, ut Melchisedech, is perpetuo est sacerdos & consequenter perpetuò ad finem usque mundi offert per sacerdotes sacrificium propriè dictum. Probatur hoc ex consensu patrum, typum hunc Melchisedeci ita evolventium. Ataides è contra hunc in modum concludit: Quicumque est sacerdos secundum ordinem Melchisedech, is est æternus sacerdos ratione essentiæ suæ & virtutis in sacrificando, nequaquam verò ratione actus sacrificialis, quippe de quo alium filet Paulus, & secundum quem semel tantum, quod sexies in Epistolâ ad Hebræos repetitur, offerri Christus debuit. Probatur hoc ex indubitata interpretatione S. Pauli, Melchisedeci typum ita luce clarius evolvente. De virtute negantis argumenti, ad quod provocat *Ataides*, vide *Lau-noium* contra Thiersum. Rogo te, quisquis es, quæ consecutio Christianæ rationi est convenientior? *Dezii*, ad interpretationem patrum, an *Ataidis*, ad Apostoli expositionem provocantis? Si verò *Dezius* ex æternitate Sacerdotii Christi plus vult concludere quam Paulus, vel quisquis Epistolæ ad Hebræos auctor est, invictis rationibus demonstret, cur non ita potius concludat: Quicumque est sacerdos in*

æternum, is in propriâ personâ æternum offert? is non ad finem tantum mundi, sed in absolutam æternitatem offert? is, quia semetipsum propriè sacrificat & offert, in æternum moritur? Si enim à Scripturæ auctoritate velit recedere, cui arctè inhæsit Ataiides, nihilo minorem habet rationem, hunc in modum ac eo, quo ipse conclusit, argumentandi. Cæterum videmus equidem, veteres quosdam Ecclesiæ scriptores Melchisedecum typum facere Christi, in S. cœna sub specie panis & vini corpus & sanguinem suum offerentis. Sed verò primò sancti illi viri hujus asserti sui nullam unquam rationem adducunt. Quis ipsis revelavit hanc typi rationem? Aut si ob quamcunque similitudinem historia aliqua typus Christi redditur, cur non omnes V. T. historias in typos convertimus? Probo præceptoris mei, *D. Dannbaweri*, effatum: nihil esse pro indubitato typo habendum, nisi quod indice vel Christo vel Apostolo fuerit ostensum. Solo forte excepto Josephi exemplo, in cujus historiâ, quamquam nullibi digitum intendente N. T. Scripturâ, status Christi exinanitionis & exaltationis nimis evidenter repræsentari videatur. Quumque Cypriani adeò auctoritati innitatur *Dezius*, eodem ille loco vinum, quo Noa inebriatus fuit, figuram facit Dominicæ passionis & sacrificii Sacramentalis. Ad quem locum notare *Dezium* velim Rigaltii, civis sui, glossam: *valde indulserunt ingenio suo patres, ubicunq; in Scripturis panis & vinum occurrit*. Deinde vellem *Dezium* non nuda tantum allegare Patrum verba, sed & nexum ostendere, quo probet, sacrificium eosdem intelligere verum proprièque dictum. Quod perquam difficile ei futurum est, qui cogitaverit, *Augustinum* scripsisse, tum Christum in Sacramento immolari, cum imolationis hujus agitur memoria, sicut in Paschate resurgere dicitur, cum resurrectionis diu præteritæ memoria celebratur. (x.) Quod & *Cyprianum* velle ex eo evidens est, quod in eadem illâ ad Cæciliam Epistolâ, *passio-*

nem

(x.) Epist. XIII. ad Bonif.

nem Domini sacrificium esse, quod offerimus, profitetur. Passio autem Christi in se hodie sacrificium non est, propriè dictum, quamquam fuerit aliquando. Ergo memoria passionis ita appellatur. Nec est, quod objiciatur, Cyprianum in ipsis verbis, à Dexio adductis, Evcharistiam vocare sacrificium verum & plenum. Cum enim totam epistolam adversus Aquarios scripserit & adversus eosdem probare voluerit, non aquam, sed vinum in Evcharistiâ distribuendum esse, non verè & plenè sacrificium, h. e. sacrificii Christi commemorationem in Sacramento fieri contendit, nisi id in sacramento factum fuerit, quod Christus ipse & fecit & fieri præcepit, id est, consecraverit vinum, non aquam. Verum igitur & plenum non ratione proprietatis, sed integritatis manifestè appellavit.

XII. Cum porrò ad Malachiæ oblationem mundam provocatur, quæ abolito veteri Judæorum sacrificio esset successura, nescio, quam argumento colligendi vim tribuat *Dexius*? Utrum hanc similemve: quodcunque sacrificium veteris legis sacrificiis successurum est, id est sacrificium propriè dictum? Vel quodcunque sacrificium est mundum & sanctum & in omnibus locis offerendum, vel quodcunque intelligi dicunt Patres, id est sacrificium propriè dictum? Quicquid verò dixerit, denuò ex suâ domo in ipso Tridentino Concilio *Atides* firmiori longè ratione: laudat *Theologos illos*, (quos inter ante *Atidem* ipse *Thomas Aquinas* est & *Julianus*, Archiepiscopus *Toletanus*, & *Isidorus Clarius*.) (y.) *qui ad locum Malachia alterum è B. Johanne addiderant de adoratione in Spiritu & veritate, quod uterque locus revera de unâ eademque re loquatur, mutuoque declarent. Et post aliqua: quare si quis utrumque locum de internâ adoratione interpretetur, hunc putabat non facile convincendum erroris, cui nimirum veri similitudo suffragetur, propter claram planamque*

(y.) Thom. II. 2. Q. LXXXIV. Art. III. ad 1. Julian. Lib. I. contra Jud. Tom. IV. Bibl. Patr. p. 228. Isid. ad h. l.

que applicationem, quod hoc genus adorationis omni in loco & ab omnibus nationibus offeratur, sitque merè spirituale, sicut DEUS ipse est purus spiritus. Quid tibi videtur, Dezi, de hac Ataidis tui argumentatione? Anne, quid per sacrificium suum mundum intelligat Malachias, certius norunt & interpretantur Augustinus & Irenæus, quam Christus? Præterea quid per : מנחה שחורה / oblationem mundam, (quæ vox nunquam in Sacris de victimâ usurpatur, semper de oblatione rei inanimatæ) aliud exaudit Propheta, quam Propheta alter, (z.) qui in N. T. ipsos homines, Judæos & Gentiles, adducendos esse DEO prædicit, מנחה ליהוה בכלי שחור / oblationem Domino in vase mundo? Rectè Cornelius à Lapide tuus: moraliter nota, nobilissimum donum & victimam DEI esse animam, si eam ab infidelitate ad fidem, vel ab impietate ad sanctitatem perducas. Ita Apostolus Rom. XV. 16. dicit, se esse sacerdotem, cujus Missa vel Liturgia est Evangelium, victimæ sunt gentes conversæ. Quocirca verè & rectè Gregorius, Hom. XII. in Ezech. nullum, ait, omnipotenti tale est sacrificium, quale est zelus animarum. Vaticinatur itaque ἐν τῷ προεγγύλιῳ Malachias, fore, ut in N. T. loco veterum sacrificiorum sanctior Missa & Liturgia, Evangelium, in omni loco ab Apostolis celebretur, eâque ratione in vase mundo, id est, interprete Cornelio, in baptisino adducerentur DEO victimæ, mundatæ lavacro aquæ in verbo ut sisteretur Christo splendida, Ecclesia, non habens maculam aut rugam aut quidquam talium, ceu alicubi Paulus munditiam sacrificii Malachiani describit. (Aa.) Est ergo Novi Testamenti Missa Evangelium, & quicquid Evangelium, ab Apostolis prædicatum, completitur, non Baptismus tantum, sed & ipsa S. Eucharistia, quatenus per hanc quoque, tanquam per vas mundum, victimæ DEO adducuntur, id est, hominum verè Christianorum animæ. Quod est sacrificium non propriè sed impropriè dictum. Ex quo ipso patet, quæ vis insit argumentationi-

(z.) Jesajas, c. LXVI. 20. (Aa.) Eph, V. 26. 27.

tionibus *Dezianis*, quæ ubique instantiam ex loco Isajano, à Cornelio explicato, patiuntur. Et ne quid roboris attribuat *Dezius* Patrum, à se allegatorum, auctoritati, jamdiu monitum à nostris est, majorem Patrum numerum locum Malachianum de sacrificiis N. T. spiritualibus generatim exposuisse; nominatim Eusebium, Chrysostomum, Theodoretum, Germanum Constantinopolitanum, Tertullianum, Cyprianum, Augustinum, Remigium Antisiodorenses, Hieronymum; quorum alicubi loca signat *Hülsemannus*. (Bb.)

XIII. Quid igitur dicendum de eo est, quod veteres utantur vocibus oblationis, sacrificii, immolationis, victimæ, altaris, sacerdotum, sacrificantium? Dicendum cum *Gabr. Albaspinao*, Aurelianensium Episcopo: *Multa in usu & consuetudine hominum posita sunt, quæ etsi à majoribus nostris manasse iradantur, longo tamen temporis tractu sunt ita mutata, aut in alium usum translata, ferè ut nihil aliud quam nomen ex primo instituto retineant. Inde verò magni errores consecuti sunt. Nam harum rerum si forte nunc incidat mentio, eas non uti fuere, sed quales hodie ante oculos nostros versantur, concipimus atq; de iis differimus.* (Cc.) Itemq; *Joannis Bona*, nuperi Rom. Ecclesiæ Cardinalis: *multa vocabula nobis & patris patribus communia retinemus, sed sensu ab eo, quem tunc habebant, non minus alieno, quam nostra tempora à primis post Christum seculis remota sunt.* (Dd.) Quod uterq; inter alia ipsius oblationis vocabulo demonstrat. Id verò circa reliquas voces, in hac ipsâ controversiâ occurrentes, adeò dilucidè in Examine comprobavit *Cbennitius*, ut actum judicandus essem agere, si quidquam eâ de re dicere amplius instituerem.

XIV. Pergit verò *Dezius* in expediendis pro vero sacrificio argumentis: *Tertiò ipsa, inquit, verba, quibus Filius DEI, dum Sacramentum instituit, utitur, satis clarè ostendunt,*

C

quod

(Bb.) Man. A. C. p. 1540. (Cc.) Ita exorditur libros Observationum Ecclesiasticarum. (Dd.) I. R. L. XII. §. I.

quod verum hoc sit sacrificium. Hoc est corpus meum, quod pro vobis traditur, quod pro vobis frangitur. Hoc est poculum sanguinis mei, quod poculum pro vobis effunditur. Salvator noster sacrificium in cruce obtulit, quia corpus ipsius in ipsa fuit traditum aut oblatum pro nobis & quia sanguis ipsius fuit effusus pro nobis. Jam verò certiores etiam nos reddit, quod sit traditus in Eucharistiâ, non tantum nobis; ecce hoc est sacramentum! sed etiam pro nobis, eò quod sanguis ipsius est effusus pro nobis; ecce hoc est sacrificium. Et loquendi, quâ utitur, ratio, quod poculum sanguinis sui effusum sit pro nobis, clarissimè monstrat, quod loquatur de effusione sanguinis in cœnâ, & non in cruce, quippe ubi non habuit poculum. Concludamus igitur cum Augustino, quod per ista verba ipse de corpore & sanguine suo instituit sacrificium secundum ordinem Melchisedech. Sanctus Lucas capite tertio & decimo Actorum meminit sacrificii hujus. Dum Domino sacrificarent, inquit, & jejunarent. Erasmus ipse censuit, verbum: *ἀειψύτων*, ita vertendum esse. Allegantur ad hæc loca I. Cor. XI. Luc. XXII. Augustin. in Psalm. XXXIII. conc. 2.

XV. Ex institutionis verbis argumentum credo ideò tantum depromit Dezius, ne primariam hujus argumenti sedem videretur præterisse. Quid enim absurdum magis est, quam novum Novi Testamenti sacrificium venditare, nec ejus ullam posse ostendere institutionem? Argumentum hoc est: in quocunqve actu corpus suum Christus in præsentia tradit & poculum sanguinis sui profundit, in eo semetipsum propriè sacrificat & offert. Atq; in Eucharistiâ. Ergo. Respondetur: ipsa ratio & omnia V. T. exempla convincunt, majorem hac limitatione constringendam esse: In quocunq; actu Christus corpus suum in mortem, non imaginariam, sed veram tradit & non poculum sanguinis sui, sed sanguinem ipsum naturaliter profundit, in eo se sacrificat & offert. Quia ita limitatâ minor falsa redditur. Cæterum Enallagen temporis, quâ: *traditur*, ponitur pro: *tradetur*, &: *effunditur*, pro: *effundetur*, agnovit vulgata Bibliorum interpretatio, de quâ statuit

tuit & declarat Concilium Tridentinum, ut hæc ipsa, tanquam longo seculorum usu in Ecclesiâ probata, in publicis lectionibus, disputationibus, prædicationibus & expositionibus pro authentica habeatur & ut nemo illam rejicere quovis prætextu audeat, vel præsumat. (Ee.) Quomodo igitur hoc loco reprobare eandem, sub illo prætextu, quod literam Græcam non premat, poterit *Dezius*? Poculum sanguinis, in cruce effundendi, positum esse per figuram usitatissimam, definit ipse Missaticus Canon, qui quotidie à totâ Romanâ Ecclesiâ recitatur; quem *sacrum canonem Ecclesia catholica instituit, ita ab omni errore purum, ut nihil in eo contineatur, quod non maxime sanctitatem ac pietatem quandam redoleat, mentesq; offerentium in Deum erigat. Is enim constat ex ipsis Domini verbis, tum ex Apostolorum traditionibus ac sanctorum quoq; Pontificum institutionibus.* Ita denuò Concilium Tridentinum, (Ff.) quod & anathema vibrat in eum, qui dixerit, *Canonem Missæ errores continere.* Poteritne adeò *Dezius* sine animæ suæ periculo asserere, ex errore: *effundetur*, in canonem influxisse, pro: *effunditur*? Negabitne ex ipsis Domini verbis hanc vocem desumptam esse? Hæc argumenta coëgerunt tot clarissima in Romanâ Ecclesiâ lumina, ut vel hanc ipsam enallagen suffragio suo comprobarent, vel traditionem & effusionem in ora comunicantium, pro ipsorum salute faciendam, non in sacrificium, intelligerent. En tibi grandem catholicorum testium catalogum! Euthymius Zigabenus, Thomas Aquinas, Nicolaus Gorram, Dionysius Carthusianus, Jo. Picus Mirandula, Jodocus Clichtovæus, Thomas Cajetanus, Jo. Ferus, Joannes de la Haya, Franc. Titelmannus, Georgius Ataides, Stanisl. Hofius, Alph. Salmero, Emanuel Sa, Adrian. Hoffstadius, Gregorius de Valentiâ, Guil. Estius, Seb. Barradius, Didacus Nugno, Gord. Hundtlæus, Cornelius à Lapide, Petrus de Marca. Collegit maximam partem curiosissimus *Gerhardus*, (Gg.) pluresque citra dubium addi possent,

C 2

fi

(Ee.) Sess. IV. Decret. de editione. (Ff.) Sess. XXII, c. IV. (Gg.) Lib. II.

C. C. Part. II. p. 1193. f.

si quis scrinia Romanæ Ecclesiæ doctorum perreptare vellet. Qvis non exhorrescat, obtrudi nobis à *Dezio* sacrificium è verbis, ex quibus illud exsculpi nullo modo posse & sacrosancta Catholicorum Biblia & sacratissimus ipsius Missæ canon & tantus Catholicorum doctorum grex & quasi exercitus, agnoverunt clamaruntq;? Si quis Medicus hominem Epilepticum jubeat ebibere poculum sanguinis, recenter pro ipso ex vivo animali effusi, quis eo ipso actu animal illud pro ipso offerri atqve sacrificari contenderet? Non sumus Lutherani ab omni sanæ rationis usu dimovendi, ut credamus id seqvi ex altero, quod nec nexum cum eo ullum habet & obviis quotidie exemplis evidentissimè refellitur.

XVI. Cur verò vel ex Augustino concludere nos jubeat *Dezius*, vel quo pacto ex verbis institutionis, paulò ante consideratis, ipse concludat Augustinus, ne quidem Argus, qui centum habuit oculos, viderit, cum nec apud Augustinum ulla compareat conclusio, nec vel verbulo ullo aut alio indicio ullius ex verbis institutionis vocis fiat mentio, nec nisi, dicente *Rigaltio*, ob panis viniqve in exemplo Melchisedeci memoracionem, valde ingenio suo indulgeat Augustinus & ex Melchisedeci typo extorqueat, quod nec ipse Paulus, quantumlibet diligens typi illius indagator, extorquere potuit. De sancto Lucâ, Liturgiam in Actis, quæ ipso Erasmo teste sacrificium indigiter, memorante, plane eodem, quo *Dezius*, asseverandi colligendiqve robore dicimus: sanctus Lucas meminit Liturgiæ, DEO ab Apostolis factæ. Erasmus ipse censuit in Annotationibus suis ad N. T. verbum: *λατρεύειν*, proprium esse operantium sacris. Nullum autem sacrificium DEO gratius inveniri, quam impertiri doctrinam Evangelicam. Quam sententiam ex ipso Paulo, indubitato interprete, hausit, qui alicubi dicit, se esse *λατρεύον τῷ θεῷ*, ministrum vel ministrantem Christo, (prorsus ut Lucas dixerat: Apostolos ministrasse DEO) quomodo verò ministraret Christo, DEO suo, in gentes, è vestigio exponit: *ισχυρο*
γὰρ

ἡμῶν τὸ εὐαγγέλιον τῷ Θεῷ, id est, Cornelio à Lapide, ceu supra audivimus, interprete: *missificans Evangelium DEI.* (Hh.) Addo verò ad *Dezii*, imitationem amplius: *ipse Cajetanus, ipse Sanctius, ipse Lorinus, ipse Justinianus*, aliique à *Gerhardo* recensiti, (li.) censent, argumentum ex voce *λεϊτεργίας* pro vero proprioq; sacrificio depromptum langvidius esse, quam ut robur serii adversarii sustinere queat. Nec diffitetur *ipse Bellarminus.* (Kk.) Qvì itaqve Lutherani credere possint, quod pronunciat Erasmus, sibi ipsi manifestè ad-versus?

XVII. Succedit ultimum *Dezii* pro veritate & proprietate sacrificii Missatici argumentum, hac verborum profusione propositum: *Quarid sacrificium istud totam habet essentiam veri sacrificii. Primò enim realis oblatio est, dum corpus & sanguis Filii DEI reipsà offeruntur in consecratione, non solum secundum expressa Malachia & S. Pauli, sed ipsius etiam Jesu Christi verba. Deinde oblatio ista instituta est à DEO: facite hoc in memoriam meam. Offeretur ubiqve ad gloriam nominis mei sacrificium purum & sanctum. Tertid non offer-tur illud nisi DEO soli. Sacerdos non offert nisi DEO, non verò sanctis, quamquam sacrificet in memoriam sanctorum. Quar-tid oblatio ista non fit DEO nisi per ministros DEI ordinatos, quales sunt sacerdotes. Quintid id quod offeritur, res est sensibilibis & permanens. Est enim corpus & sanguis Jesu Christi, sub speciebus panis & vini. Sextid destructio mystica hujus vi-tima, qua quasi præsentem reddit destructionem realem hujus victimæ in cruce, non minus rectè declarat, quod Deus auctori sit vite & mortis, ac si Christus ipso effectu mortuus esset ad idem testificandum. Ut aded verum sit, quod in Missa non moria-tur nisi mysticè & in representatione & tamen realiter offeratur & immoletur modo incruento. Omnes hæ rationes & plures alie, quæ utring, examinate fuerunt, commoverunt Catholicos ad*

C 3

peten-

(Hh.) Rom. XV. 16. (li.) C. C. De Sacrif. Miss. p. 1200. (Kk.) I. De Miss. XV. §. De loco.

petendum, ut sacramentum altaris pro vero sacrificio habeatur & adeò Protestantes concedant, quod verum sit sacrificium commemoratum.

XIIX. Non ideò fortius concludit hoc argumentum, quia verborum copiâ abundat, cum plerisque ejus membris vis, si quæ illi inesse primò intuitu videtur, in superioribus fuerit incisa. Nam primò totum argumentum, omniaque ejus membra simul sumpta, sacrificium nondum conficiunt, cum patientur instantiam paulò ante allatam, à Medico, homini Epileptico vel vivi vel mortui animalis sanguinem propinante. Quippe in hoc exemplo primò realis oblatio est sanguinis. Deinde oblatio instituta à Medico. Tertiò offertur sanguis ægròto, eiq; soli. Et offertur quartò à solo ministro, nomine & jussu Medici agente. Estque quintò sanguis res sensibilis atque permanens. Denique destructio adest mystica, separatio nempe corporis à sanguine. Et tamen hic sanguis verè Epileptico non sacrificatur. Causa est, quia omnis iste apparatus, omnis ista oblatio non tendit ad Epilepticum istâ ceremoniâ colendum & honorandum, sed ad eundem à morbo liberandum & sanandum. Planè ad eundem modum adest quidem in S. Eucharistiâ corpus & sanguis Christi. Adest institutio, à Medico Christo facta. Offertur corpus & sanguis homini Christiano, peccatis onusto. Offertur à solo ministro, nomine Christi agente & sacramentum distribuyente. Estque corpus & sanguis res sensibilis atque permanens. Denique destructio adest mystica, quippe separatio corporis à sanguine. Nisi enim separata essent, separatim sumi non possent & ideò separata sunt, ut separatim accipi possent. Et tamen verum sacrificium non adest, quia omnis iste apparatus non tendit ad hominem colendum & honorandum, sed ad eundem à peccatis liberandum & sanandum. Atque hæc hætenus recensita in verbis institutionis reperiri, adeò non inficiantur Lutherani, ut potius hoc ipso, quia hoc, neque aliud

aliud quidquam in iisdem deprehenditur, non sacrificium, quod DEO, sed sacramentum, quod homini offertur, describi jure meritissimo profiteantur. Provocant ad sanum cujuslibet hominis, extra partes positi, neque præconceptâ opinione imbuti, judicium, cui, dum verba institutionis, prout in nativo quasi positu suo jacent, & ex quotidiano usu, (unde omnis intellectus hauriendus est) intelliguntur, in oculos animumque incidunt, aliud quidquam in mentem venire non potest.

XIX. Quod si excipiat *Dezius*, oblationem non Sacramentalem tantum, quæ fit in sacramento communicanti, sed & Sacrificialem, quæ ante Sacramentum fit DEO, per argumenta à se allata probari; tum jam in superioribus ostensum est, per illa nihil minus quam hanc inferri. Nam nec Malachias, quod in primo probationis suæ membro adfert, nisi sacrificium improprie dictum insinuat, nec Paulus ullo verbo sacrificii mentionem facit, nec Christus in verbis: *pro vobis traditur*, nisi sacrificium crucis intelligit. Quæ singula suo supra loco demonstravimus. Per mandandi autem verbum: *hoc facite*, quod in secundo præcipue membro urget *Dezius*, id duntaxat faciendum Christus injungit, quod præcesserat. Nihil autem aliud præcessit, quam quod Symbola eum in finem, ut distribuere posset, consecraverit, actuque ipso distribuerit. De oblatione nec verbum comparet ullum, nec vestigium. Anne autem verosimile est, in re tanti momenti, quæ principem totius cultus N. T. partem, si vera esset, in se complecteretur, id in ipsâ institutione omisurum fuisse Christum, quod, nisi exprimeret, nemini in mentem venire poterat? Cum Ecclesiasticum prædicandi ministerium institueret: *ite, inquit, in universum mundum & prædicate Evangelium omni creatura.* Cum Sacramentum Baptismi: *baptizate eos in nomine Patris, Filii & Spiritus Sancti.* Et cum institueret sacrificium corporis sanguinisque sui, rem magis quam reliqua omnia necessariam,

(Ll.)

(Ll.) non diceret, ut, quid vellet, intelligi posset: sacrificate, vel offerite? In ipso Concilio Tridentino denuò *Atides* noster, referente Petro Svave: illud, dicebat, quod dicitur, Apostolos institutos sacerdotes ad offerendum sacrificium, verbis illis Christi; hoc facite: ea verba procul dubio intelligenda de eo, quod ab ipso factum viderent; opus itaque esse, uti primum constet, quid ille obtulerit? Sed cum id in comperto non sit, variæque sint Theologorum opiniones, (quod antea ex dissectis in duas quasi æquales partes patribus probaverat) & unusquisque fateatur, utramque esse Catholicam, certè eos, qui negant, Christum obtulisse, ex iis verbis non posse concludere, oblationem sui præcepisse. Rectè utique; quantumvis Tridentini sepositâ quæstione: utrum Christus in primâ cenâ semetipsum sacrificaverit, Christum tamen offerri per hæc verba præcepisse, adeoque Apostolos N. T. sacerdotes constituisse, decreverit, cautati, semper Ecclesiam Catholicam ita intellexisse & docuisse. De quo nihil aliud nisi verba adfero *D. Georg. Calixti*, in Tractatu contra Communionem sub unâ scribentis: *Miror, Tridentinos eò audacia profluisse, ut dixerint, Ecclesiam Catholicam verba: hoc facite, semper ita intellexisse & ita docuisse, quod Apostolos per ea Servator sacerdotes constituerit & offerri jufferit. Ex omnibus non modo primæ, quos patres appellare consuevimus, sed ne mediæ quidem ætatis scriptoribus, qui in Lucam & Apostolum verba: hoc facite, in historiam institutionis Eucharistia memorantes commentati fuerint, unus proferrî poterit, qui: hoc facite, ad eum modum intellexerit. Quin nec ultimæ & jam sub erroribus fatiscantis, in quam Scholastici inciderunt, commentatores in hunc sensum exposuerunt.* Non sane

(Ll.) *D. Hülfemannus* in Præl. in Form. Conc. p. 668. ex Vinc. Filiuccio, Gregorii XIII. P. M. Confessionario, hanc allegat gnomen: *Si quis non possit in die festo simul prædicationi & Missa interesse, emittendam esse concionem, cum hæc sit in consilio, Missa verò in præcepto. Ipse Dezius Reun. p. 387. convenitur, ait, Missam inter omnes cultus Divinos eum esse, per quem Divina majestas omnium maximè glorificatur.*

nè Hugo de S. Caro, nec Albertus Magnus, nec Thomas Aquinas, nec Herbeus Brito, nec Liranus, nec Nicolaus Gorranus, nec Dionysius Carthusianus, qui tamen atate illà corruptelis laborante commentatorum sive interpretum novissimi sunt. Quanta igitur est insolentia, coram toto Christiano orbe enunciare & persuadere velle, quod semper Ecclesia Catholica ita intellexerit? Hæc ille, qui præterea suffragantes sibi Guilielmum Estium & Franciscum Svaretium; (Mm.) Gerhardus vero Titius, Calixti successor, Gulielmum Alanum, ex ipsâ Romanâ Ecclesiâ allegat. (Nn.)

XX. De cæteris, quæ à *Dezio* afferuntur, fundamentis prænotandum est, ea, ipsomet *Dezio* citra dubium confitente, ita comparata esse, ut nonnulla quidem à sacrificio abesse non possint, si tamen adsint, sacrificium non illicò constituent. Qualia sunt: offerri soli DEO; nam & oratio cum latrâ conjuncta soli DEO offertur: offerri per sacerdotes solos; nam & Sacramenta per solos sacerdotes administrantur: offerri rem sensibilem & permanentem; nam & varia DEO munera offeruntur, quæ sunt res sensibiles & permanentes. Si enim dicas, intelligi oblationem sacrificialem, quæ & sola DEO & soli eidem & sola à sacerdotibus & ab iisdem solis offeratur, tum principium, ut Philosophi loquuntur, petitur. Cum enim quæritur: an Missa sit sacrificium, probaturque per id, quia Missa non ut res alia quælibet, ceu aurum, cera, aut simile quid, sed sacrificialiter, DEO soli à solo sacerdote offeratur, quilibet videt, hoc ipsum, quod ut sacrificium offeratur, in quæstione, adeoque probandum esse. A primo igitur fundamento, quod in Eucharistiâ ex Divinâ institutione DEO offeratur corpus & sanguis Christi, & ultimo, quod hoc corpus & hic sanguis, præviâ reali Christi destructione, realiter sint separata, tota sacrificii ratio dependet. Quæ duo verò probari nunquam possunt, cum de oblatione, quæ

D
DEO

(Mm.) S. XCI. p. 155. (Nn.) Ostens. Summ. c. IV. p. 87.

DEO facienda esset, nihil, sed de eâ tantum, quæ fit Sacramentum participant, nec de destructione quicquam, immò nec de separatâ corporis & sanguinis Christi consecratione, eum in finem, ut separatim DEO possint offerri, sed in hunc potius, ut separatim possint distribui, quicquam in verbis institutionis occurrat. Si verò in Eucharistiâ nihil realiter DEO offertur, quomodo in illâ soli DEO offeretur & quomodo per solos sacerdotes offeretur & quomodo res sensibilis atque permanens offeretur? Quamquam verò tria ista, quæ antea memoravimus, sacrificii criteria, vel frustra adducantur, vel petant id, quod est *ἐν τῇ ἀρχῇ*, tamen, quod ad tertium spectat, quod sacrificium offeratur soli DEO, non verò sanctis, quamquam offerri possit in memoriam & honorem sanctorum, quærere ex *Dezio* licebit, annon eodem jure hæc similiaque asserenda esse videantur? Soli inter Germanos Principes Imperatori genua flectuntur, non verò ulli Principi, quamquam in memoriam & honorem Principum genua flecti possint. Soli Regi Galliarum Augusta statua Lutetiæ Parisiorum erigitur, non ulli vel Duci vel Comiti, quamquam eadem Augusta statua in memoriam & honorem Ducum & Comitum erigi possit. Solius Pontificis Romani pedibus oscula figuntur, non monachorum aut monialium, quamquam in honorem (& memoriam monachorum & monialium oscula pedibus figi possint.

XXI. Jam quod ad ultimum, idque præcipuum, veri, proprieque dicti sacrificii momentum spectat, destructionem nempe victimæ, adeò timidè titubanterque de eâ loquitur *Dezius*, ut vel hoc ipso & Ecclesiæ suæ dissensum & rei, de quâ quæstio est, summam incertitudinem & denique ipsius sacrificii improprietatem manifestissime prodatur. Cur destructionem illam non ponit in consumptione specierum cum Bellarmino? Aut in transubstantiatione
cum

cum Tappero ? Aut in mutatione qualibet aliâ , vel physica vel morali , cum aliis ? Cur non cum illustrissimo Archiepiscopo suo , *Petro de Marcâ* , ne quidem necesse esse proficitur , ut rationem sacrificii in mactatione vel interitu hostiæ constituamus , cum sufficiat sola rei sensibilis ad honorem Divini Numinis ex ipsius decreto dicata oblatio , qua illi à ministro publico nuncupatur , ut sacrificium dici possit ? (Oo.) Nititur quidem ad qualemcunqve concordiam redigere tantopere dissentientes Ecclesiæ suæ Theologos Bellarminus , (nam *Jobannes Malderus* , Episcopus Antwerpiensis , (Pp.) novem suorum eâ de re opiniones recenset) sed quomodocunqve illa se habeat , quale incertitudinis de re ipsâ præjudicium in Lutheranorum animis enasci putabimus , si ipsum sacrificium in Romanâ Ecclesiâ indubitatum & principalissimam Divini cultus partem , formam verò & essentiam hujus sacrificii innumeris sententiarum divortiis dubiam esse videant & ambiguam ? Enimverò jam ipsa *Dezii* verba curatori indagine lustremus. *Destructio* , ait , *mystica est hujus victimæ*. Quidni igitur , repono , & ipsum sacrificium sit mysticum , id est , ut oppositio nos docet , non reale , sed spirituale , eo sensu , quo & oratio hominis fidelis mysticum est sacrificium. Qualis enim forma est , talis est & res ipsa. *Quæ quasi presentem* , ait porro *Dezius* , *reddit destructionem realem hujus victimæ in cruce*. Quidni igitur , inqvo , & quasi sacrificium sit , id est , sacrificium non verum proprieque dictum ? Nec enim *DEus* est quasi omnipotens , dum verè est omnipotens , nec *Dezius* est quasi homo , dum verè est homo , nec canis quasi latrat , dum verè latrat. Immotum est , nec ullâ refellendum vi argumentum : qualis est destructio , tale est sacrificium , supposito , destructionem tendere ad sacrificandum. Atqvi destructio in Missâ est quasi talis , est in mysterio talis , est in imagine talis , non est realis , non est vera , non est

D 2

proprie

(Oo.) De Sacr. Miss. p. 96. (Pp.) Tr. de Just. & Jur. X. 3.

propriè dicta : supposito, quod hæc destructio, quantumlibet mystica & imaginaria & quasi talis, tendat ad sacrificandum. Ergo. Si veram esse dixeris destructionem, non obstante, quod sit mystica & in imagine talis, nihil prorsus impedit, quin ob eandem rationem & mortem Christi in Missâ veram dicas, quamquam mysticam, quod tamen dicere hætenus refugit hoc ipso loco *Dezius*. Si denique hic per consecrationem à Christo insinuata est qualiscunque destructio, etiam in imagine tantum talis, ea tamen nec sacrificium quidem in imagine tale, nedum verum & propriè dictum, conficiet, quousque non fuerit probatum, imaginariam illam destructionem ex intentione Christi tendere ad offerendum sub hoc ritu & imagine DEO corpus sanguinemque Christi, cujus nullum est in verbis institutionis indicium; cum, ut connexio evidentissimè arguit, imaginaria illa destructio tendat ad separatam corporis & sanguinis Christi sumptionem. Dicitur enim : benedixit, fregit, dixitque : edite. Non verò dicitur : benedixit, fregit, dixitque : offerre hoc DEO, dein edite.

XXII. Postremò quod additur à *Dezio* : non minus imaginariâ hac destructione declarari, quod DEUS sit autor vitæ & mortis, ac si Christus ipso effectu mortuus esset ad idem testificandum, de eo in præsentî tractatione jam sæpius à nobis dictum est. Ut in compendium singula contrahamus : Non sequitur : hoc ritu declaratur DEUS auctor vitæ & mortis; ergo hic ritus est sacrificium. Nam idem disertis verbis in ritu orationis declaratur, immò in omni actu exteriori, martyrio cumprimis, quo DEI majestas agnoscitur religiosâ adoratione coliturque, qui tamen ideò sacrificium non est. Præterea cum imaginariâ illa destructione DEUS planè non colatur, quippe quæ ad distribuendum tantum ordinata à Christo est, non ad colendum, quomodo eo ritu declarabitur, DEUM esse auctorem vitæ & mortis? Porro quo vel

vel indicio probabitur, sacrificiorum proprium præcipuum-
que finem fuisse, agnoscere supremum DEI in vitam mor-
temque hominis dominium? Ubi hic finis unquam in sacri-
ficiis disertè expressus est, qui tamen disertè exprimi debuit,
si proprius fuit & principalis? An enim DEUS, sacrificium
instituens, id dicere omiserit, quod in omni & institutione
& actione palmarium est, quodque in omnibus reliquis
sacrificiis V. T. studiosè atque disertè expressit, cur illa &
cui fini offerri debeant & celebrari? Tandem cur in ipso
Missatico sacrificio hic finis nunquam fuit memoratus, si
primus & principalis est, si huic sacrificio est proprius, si
à celebrante Missam principaliter intentus? Non conve-
nit Theologo, in re, à ratione omni remotâ & Divina in se
mysteria, è solâ Divinæ revelationis voluntate cognoscen-
da, complectente, quicquam asserere præter Scriptura-
rum auctoritatem, quæ tamen hic altum silent, neque finem
illum ullo apice, nedum verbo aut voce, insinuant atque
manifestant. (Qq.)

XXIII. Videtur verò non sine notabili acumine
concludere Dezius: *ut adeò verum sit, inquit, quod in*
Missâ non moriatur Christus nisi mysticè & in representatione
& tamen realiter offeratur & immoletur modo incruento. Mi-
ra hæc est conclusio: non moritur Christus & tamen im-
molatur. Vivus igitur immolatur, quia non moritur.
Nec enim vivus esse desinit Christus, quando mysticè & in
repræsentatione moritur. Quod animal unquam im-
molatum est, quod mansit vivum, dum immolatum est?

D 3

Qvis

(Qq) Fulsè aliquoties de hoc argumento supra à nobis actum, c. II. §. XIV. f.
Itemque toto cap. III. Et in App. Prop. II. §. XX. f. Nec etiam recentissi-
mus è Rom. Eccl. scriptor, *Alex. Sperellus*, Episcopus Eugubinus, cum
datâ operâ de finibus Missatici sacrificii agit, vel ullo verbo, nedum argu-
mento, hoc DEI dominium in vitam mortemque hominis attingit; in
Paræm. Teleturg. de Sacr. Miss. c. V. & VI.

Qvis unquam rem audivit tam paradoxam, victimam immolari, nec mori? Si verò peculiare hoc in Christo mysterium est, ut sacrificetur, nec tamen moriatur, æquissimum est, ut clarissimâ id Scripturæ literâ doceatur. Quod enim caro & sanguis non revelat, sed solummodo Pater cœlestis, ejus rei clarissima ex ore Divino, tanquam unico revelationis fonte, documenta debent produci. At ubi Christus in Sacramento immolari dicitur? Ubi verissimè immolari dicitur? Ubi, in quâ sententiâ, quo verbo, quâ literâ, quo apice indicium immolationis ullum est? Et immolationis quidem propriè dictæ? Non credimus, nisi literam videamus, & talem quidem, cui refragari sano & incorrupto judicio non liceat, ne homini potius fidem habeamus quam DEO. Præterea in repræsentatione moritur Christus, juxta *Dezium*, (quod ipsum tamen denuò immotis argumentis ostendendum est) & tamen realiter immolatur. Quasi diceret: Henricus Stephanus in repræsentatione atque imagine Parisiis crematur & tamen realiter proprièque comburitur. (Rr.) Si dixeris: verè tamen adesse Christum, non in nivosis Arvernæ montibus latitare, verè igitur Patri offerri, verè immolari; tum regeritur: non præsentiam victimæ, sed mactationem & mortem immolationem atque sacrificium propriè dictum efficere. Potest equidem, ubi præsens est Christus, DEO præsens offerri & ubi sub mortis effigie præsens est, sub illa quoque effigie potest offerri, sed oblationis vocabulo non pro immolatione & sacificatione, sed generalius accepto. Quo sensu Judæi Christo obtulisse paralyticum (Ss.) & iidem discipulis obtulisse pueros (Tt.) & Christo obtulisse acetum, (Uu.) & Simon Petro obtulisse pecuniam (Xx.) dicuntur. Ipse Christus, corpore sanguineque suo præsentissimus

(Rr.) Ap. *Corn. Tollium*, de Liter. Infel. f. f. (Ss.) Matth. IX. 2. (Tt.)
 Marc. X. 13, (Uu.) Luc. XXIII. 36, (Xx.) Act. IIX. 18.

mus oblatuſ eſt , & quidem multis notatuſ mortis ſignis , Pilato, (Yy.) nec tamen illi immolati ſunt, nec immolatuſ tuſ eſt Chriſtuſ. *Qui Miſſam celebrat, iſ juxta Franc. Coſle- rum, celebrem in Romanâ Eccleſiâ doctorem, repræſentan- do offeri & offerendo repræſentat, ad modum tragædiæ alicujus, in quâ repræſentatur aliquod regis factum & ille rex, cujuſ fa- ctum repræſentatur, in tragædiâ illâ verè introducitur.* Fin- gamuſ igitur, regem illum aliquando in bello ab hoſte vul- neratuſ ſanguinem ſuum copioſè fudiſſe & in tragædiâ, quod fieri ab artiſ peritiſ facile poteſt, ſanguiniſ illam pro- fuſionem in ipſo illo rege denuò repræſentari, nunquam ta- men iſ dicetur vel verè bello intereſſe, cum bellum in ima- gine tantum geritur, vel verè fundere ſanguinem, cum fu- ſio tantum repræſentatur, quantumlibet rex ipſe huic ſpe- ctaculo adſit & proprio ſuo corpore ictuſ, incruentos qui- dem, ſed cruentos in imagine vivâ repræſentanteſ, excipiat. Quæ ergo ratio eſt, quod actio illa Chriſti, quæ aliquando in bello ſuo, ut ita loquamur, paſſionali verè proprieq; præ- ceſſit & ſacrificiuſ à Scripturâ appellatur, quâ nempe ſan- guinem ſuum in cruciſ arâ verè fudit, verèq; mortem o- biit, quando in tragædiâ Sacramentali in imagine repræſen- tatur, ſit actio vera, non imaginaria, ſacrificiuſ verum pro- prieq; dictuſ, non impropriuſ & repræſentativuſ? Hæc tanta *παράδοξα* & ab omni ſanæ rationiſ judicio aliena ſi ve- ra ſint, argumentiſ non obſcuriſ, non per ambageſ quæſi- tiſ, non humanæ auctoriſ innitentibuſ, ſed ipſo ſole cla- rioribuſ, diſertam in ſe Scripturæ literam & Divinæ infalli- bilis veritatiſ manifeſtationem habentibuſ, comprobari de- bent, ut credantur. *παράδοξον* eſt, habere DEum Filium, eundemq; DEum in ſe ſimpliciſſimè indiviſum in tribuſ tamen hypotaſiſibuſ ſuſſiſtere. Non ſtupiduſ tantum, ſed & impiuſ eſſet, qui hiſ aſſertiſ, omnem rationem longè
super-

(Yy.) Luc. XXIII. 14.

supergradientibus, haberet fidem, nisi Divinum os, quod fallere nescit & falli, verbis dubium in se nullum habentibus diceret: *Filius meus es tu, hodie genui te, &: hi tres unum sunt.* Agite igitur, Romani, expedite eruditionem vestram, adferte verba, adferte literam, aut si his estis destituti, virtutem sollicitate literæ, eaque consequentiâ, dilucidâ liquidiſsimâque, (nam in mysteriis summâ luce opus est, ne intellectus noster, ex lapsu obtenebratus, quod facile summo cum periculo nostro fieri potest, decipiatur) sacrificii in Eucharistiâ veritatem proprietatemque demonſtrate, quâ Divinarum personarum Trinitas & Divinitas Filii DEI comprobatur. Id si feceritis, non minus illud quam hoc magnum pietatis mysterium summâ veneratione adorabimus & Ecclesiæ vestræ, à quâ alieni hæctenus fuimus, accedemus. Id verò priusquam fiat, veniam nobis concedere debetis, quod simplici Scripturæ literæ, quæ de sacrificio nihil, nihil de oblatione, nihil de immolatione loquitur, nec hæc talia ullo ullius Syllabæ sensu insinuat, inhærere malumus, DEOque hac in re potius quam hominibus, fidei nostræ gloriam tribuere.

XXIV. Quæ cum ita se habeant, sole meridiano clarius est, immeritò Catholicos, à *Dezio* ita dictos, requirere, ut Protestantes Missam verum esse sacrificium concedant. Quin è contrario Lutherani summo jure postulant, ut Missa ubique abrogetur, donec magis idoneis argumentis fuerit probatum, eandem esse cultum DEO gratum atque acceptum.

F I N I S.

Ad
Præeximium DN. RESP. MEERWEINIUM.

Cum, *Meerweine*, Tui meditarer nominis omen,
Hærebam rogitans, quid sibi fortè velit?
Anne *maris vinum* sit *agræ* descriptio; sive
Trans mare num cretum signet id esse *merum*?
Postea non omen, sed *sortem* nominis ipsam
Respicens, ita nunc ora resolvo mea:
I* pede felici, specimen dum dulce propinas;
Fac *verè* * *vinum sis* generesque Tuis,
Exhilareresque DEI populum dulcedine lingvæ,
Purificans vino vulnera foeda Tuo.
Sic DOMINI proeedet opus: sic, Pastor amanti
Cum fueris coctus, *dulcis - amarus* eris.
Interea Cœli benedicat gratia ceptis,
Ut *mare vinorum* profluat usque Tuum!

* *Meerweinius*:

Anagr,
I *verè vinum es*,
(*es pro sis*.)

LMQ;
A. D. HABICHHORST, D.

Ad
CLARISS. DN. RESPONDENTEM,
Conterraneum meum,
Alloquium.

Cum ex patriâ nostrâ superioribus annis sævientis tum belli impetu expulsus,
primum quidem in Academiam Argentoratensem, deinde in has terras esse
delatus & Filiis Nobilis in vicinia viri erudiendis adhibitus, indefessâ in-
dustriâ Tuâ, mörumque ad pietatem humilitatemque compositorum inno-
centiâ, dicendi quoque ad populum ex suggestu libertate, effecisti, ut inter eos, ex qui-
bus Ecclesiæ suæ pastorem eligerent, honorificâ equidem & plenâ in Te amoris lega-
tione, à civibus oppidi Plavienfis requireris. Verum Tu invocato in consilium su-
premo Numine, memor obligationis erga charissimam patriam, quæ ex beneficiis
in studia Tua impensis Tibi incumbit, consideratâ quoque studiorum Tuorum ratio-
ne, quæ ad Ecclesiasticum ministerium immaturiora Tibi videbantur, quodque in
hæc remotissima à natali solo loca hunc ipsum in finem concessisses, ut me doctore
cive Tuo, solidiora notitiæ Theologicæ fundamenta jaceres, deprecatus oblatam,
quam vocant, præsentationem, huic Te Academiæ addixisti. Ex eo tempore totos
dies, totasque noctes consumpsisti in libris. Vidi Te superiore anno quotidie bis do-
mum meam intrantem, semel ubi per connexa perpetuis congressibus examina to-
tius Theologiæ latifundia enucleabantur, iterum cum Ecclesiæ Pastor formabatur in
cunctis officii sui partibus. Publicas de recentioribus controversiis Prælectiones, ne
semel quidem remisso ardore, non minus ac privata disputandi exercitia frequentasti.
Ex cæteris quoque celeberrimis hujus loci Theologis, ut proficere posses, nullam
unquam prætermittere passus es occasionem. Officium equidem fecisti seduli, suæ-
que rei &, quod caput omnium actionum nostrarum est, DEI timori serio intenti
Theologiæ studiosi. Id re comprobabis ipsâ summo patriæ Tuæ Antistiti, KUM-
MERO. Ego verò, qui isthoc Te testimonio & libentissimè & verissimè prosequor,
non

non tantum communi patriæ nostræ salutarem Te fore Ecclesiæ ministrum ominor,
sed Te præterea maximis eminentissimisqve ejusdem viris, salutis ipsius & incolumi-
tati immortalis cum nominis sui gloriâ invigilantibus, præcipue duumviris illis in-
comparabilibus, GUSTAVO FERDINANDO A MENZINGEN & REINHARDO
A GEMMINGEN, supremis Serenissimi PRINCIPIS ministris, quibus majores nun-
quam in hoc orbe habui patronos, hoc ipso nomine enixè commendo. Vale opti-
mè. Scr. in Musæo. d. XX. Martij MDC.

JO. FECHT, D.

In gratiam
Clarissimi ac Doctissimi Domini MEERWEIN.
PLUS LACRYMÆ; PLUS VINI.

UT modo PLUS LACRYMER, dic Vates, estne necessum?

Quæsiwere olim Regem-Melech, atqve Sar-Ezer, *Zach. 7. 2. 3.*

Certe sic hodie Divina Ecclesia luget,

Quam lacrymæ plures unguunt, sed balsama rara,

Fas uti sit fociis lugere ululatus illam:

Non veluti talem; (DOMIMO grex parvus amatur)

Sed velut angustam, quia, quas nunc vivimus artes,

Vanis, hæresibus, vitiis se dedere laus est.

Interea Babylon feralia vulnera curat,

Mortiferis quondam plagis percussa tyranna.

Missam commendat, Missam crepat, undiqve Missam,

Errorum caput atqve superstitionis asylum

Postulat, ex illa cupiens defendere sceptrum,

Illacrymanda dies! Sic serpit publicus error,

Error, quem Romæ meretricia machina firmat,

Error per Verbi gladium tollendus incermem.

Tu vero Magni sub FECHTI umbone, magisque

Sub DOMINI clypeo tutus procedere gestis,

MEERWEINI, Sacras qui svesti adamare Camœnas.

Vince Viros hodie verbis, scriptisque deinceps,

Et, post hanc cathedram cathedræ servire dicatus

Templorum, lacrymis quædam dare tempora discet.

Est posita in lacrymis etiam victoria sæpe,


Quippe per has poteris vincere & vincere coslos.


Quanto PLUS LACRYMÆ nostris nunc funditur oris,

Tanto PLUS VINI venturis affluet horis.

JOH. PETR. GRÜNENBERG,
D. P. P. Consil. Consist. & Meckelnb. District.
Superintendentens.








Ad
Præeximium DN. RESP. MEERWEINIUM.

Cum, *Meerweine*, Tui meditarer nominis omen,
Hærebam rogans, quid sibi fortè velit?
Anne *maxis vinum* sit *aqua* descriptio; sive
Trans mare num cretum signet id esse *merum*?
Postea non omen, sed *sortem* nominis ipsam
Respiciens, ita nunc ora resolvo mea:
1* pede felici, specimen dum dulce propinas;
Fac *verè* * *vinum sis* generesque Tuis,
Exhilareresque DELI populum dulcedine lingvæ,
Purificans vno vulnera foeda Tuo,
Sic DOMINI procedet opus: sic, Pastor amantis
Cum fueris coctus, *dulcis - amarus* eris.
Interea Cœli benedicat gratia ceptis,
Ut *mare vinorum* profluat usque Tuum!
* *Meerweinius*:
Anagr.
I verè vinum es,
(*es pro sis.*)

LMQ;
A. D. HABICHHORST

Ad
CLARISS. DN. RESPONENTEM,
Contreraneum meum,
Alloquium.

Cum ex patriâ nostrâ superioribus annis favientis tum belli impetu
primum quidem in Academiam Argentoratensem, deinde in has te
delatus & Filiis Nobilis in vicinia viri erudiendis adhibitus, ind
dustria Tuâ, mörumque ad pietatem humilitatemque compositori
centiâ, dicendi quoque ad populum ex suggestu libertate, effecisti, ut inter ec
bus Ecclesiæ suæ pastorem eligerent, honorificâ equidem & plenâ in Te amo
tione, à civibus oppidi Plavienfis requirerent. Verum Tu invocato in cons
premo Numine, memor obligationis erga charissimam patriam, quæ ex
in studia Tua impensis Tibi incumbit, consideratâ quoque studiorum Tuoru
ne, quæ ad Ecclesiasticum ministerium immaturiora Tibi videbantur, qu
hæc remotissima à natali solo loca hunc ipsum in finem concessisses, ut me
cive Tuo, solidiora notitiæ Theologicæ fundamenta jaceres, deprecatus e
quam vocant, præsentationem, huic Te Academiæ addixisti. Ex eo tempo
dies, totasque noctes consumpsisti in libris. Vidi Te superiore anno quotidi
num meam intrantem, semel ubi per connexa perpetuis congressibus exa
tius Theologiæ latifundia emucleabantur, iterum cum Ecclesiæ Pastor forma
cunctis officii sui partibus. Publicas de recentioribus controversiis Prælecti
semel quidem remisso ardore, non minus ac privata disputandi exercitia frec
Ex cæteris quoque celeberrimis hujus loci Theologis, ut proficere posses
unquam prætermittere passus es occasionem. Officium equidem fecisti sedu
que rei &, quod caput omnium actionum nostrarum est, DELI timori seri
Theologiæ studiosi. Id te comprobabis ipsâ summo patriæ Tuæ Antistiti
MERO. Ego verò, qui isthoc Te testimonio & libentissimè & verissimè pr



the scale towards document